RACCOLTA
DI VARJ, E DIVERSI OPUSCOLI.
TOMO XXIII.

Digitized by Google

CLARISSIMUM AETERNAE FAMAE GLORIAEQUE TROPHOEUM.

SIVE

DE LAUDIBUS

CLEMENTIS XII. PONTIFICIS OPT. MAX.

O R A T I O

HABITA NEAPOLI

In Auguſto Sanctae Clarae Templo
VII. Kalendas Apriles.

IN FUNERE EJUSDEM PONTIFICIS

A BERNARDO CANGIANO
SACR. THEOL. DOCTORE, ET MAGISTRO,
ET S. METROPOLIT. ECCLESIAE
NEAPOL. CANONICO.

BIBL. NAZIONALE DI NAPOLI

N E A P O L I
Ex Typographia Januarii, & Vincentii Mutio.
M. DCC. XXXX.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

2

Digitized by Google

EMINENTISS., ET REVERENDISS.

PRINCIPI
N E R E O
CARDINALI CORSINO.

BERNARDUS CANGIANUS.

N*ON ſatis conſultum videri poſſet aeternae Famae* CLEMENTIS XII. OPTIMI *Patrui tui*, CARDINALIS AMPLIS-

Digitized by Google

SIME, ſi qui ejus memoriae honores habiti ſunt, ii in celebrando tantum funere, curandoque ſepulcro verſarentur. Haec enim quum fluxa admodum ſint, & cito peritura, neque diu manent, neque in longum ad Poſteritatis memoriam pertinent: At ſi quae CLEMENS praeclare in vita geſſit, ſuperſtiti aetati commendentur, is certe honos habendus unice firmus, atque immortalis. Quod quum ipſe omnino perſpicerem, ne tam OPTIMI PONTIFICIS laudes, quas in Auguſto S. Clarae Templo recitavi, offuſae fugacium annorum tenebris in oblivionem venirent, conſtitui, ut publicam lucem viderent, teque potiſſimum Auſpice,

atque

Digitized by Google

atque Patrono ederentur: Quandoquidem haec uni Tibi maximo jure debebantur, qui non modo CLEMENTEM proximo gradu contingis, ſed mira etiam tibi fuit cum ejus virtutibus affinitas, atque conjunctio; qui certe quam ſapiens ubique audis, quam beneficus, quam excelſus, quam denique de omnibus, Roma praeſertim meritiſſimus! Haec namque tibi via, uti monebat olim Socrates apud Tullium, cum Patruo tuo ad gloriam proxima, ac veluti compendiaria fuit, ita ſemper agere, ut quales haberi voluiſtis, tales eſſetis. Illud ipſe tantummodo nunc vereor, ne nimium languide, ne dicam jejune de SA-

PIEN-

PIENTISSIMO CLEMENTE dixerim, quem inter paucos Roma tulit majeſtate ſua dignum, quique dum inter homines eſſet, honeſtatem undique perfectam, & abſolutam cum imperandi arte penitus novit, & copulavit; ab eo ut unum id abeſſe putem, quo veteres Heroas provocet, longa nimirum annorum ſerie tumulari, dein Clariſſimos nanciſci Viros, qui eum ſerae Poſteritati commendent; primum dies efficiet, alterum qui ſtudioſe praeſtet, dum hominum genus erit, fortaſſe non deerit. Siquidem erunt poſthac Summi Viri, qui pictores aemulati, quae a me propere, craſſeque adumbrata ſunt, felicius curatiuſque expoliant,

Digitized by Google

liant, & abſolvant. Oro igitur te, atque obſecro, PRINCEPS EMINENTISSIME, ut non tam, quae a me Ampliſſimo Nomini tuo in tenuiſſimi muneris ſpeciem offeruntur, quam rei gratiam, obſequium, memorem gratumque animum accipias. Me vero in tam aequam, & honeſtam officiorum partem vocatum ea, qua ſoles, benignitate complectere; ſimul & tuere precor contra eorum impetum, qui etſi ſcribendi omnino inſcii, in culpandis tamen aliorum ſcriptis praefidentes nimis, atque inurbani videri ſolent. Caeterum id a te demum peto, CARDINALIS AMPLISSIME, vel potius precibus omnibus oro, & obteſtor,

ut

ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic etiam cogitationi, ut me in tuis demiſſiſſimis famulis, infimum quidem viribus, ſed non animo eſſe ſubinde memineris. Interim in genua provolutus, omni quo par eſt, obſequio, Sacram Purpuram exoſculor, Deo ſupplicans, ut te communi Eccleſiae bono diu ſervet incolumem.

Digitized by Google

ALMUM diem hunc, nimiumque felicem dixerim, ſi ubi PONTIFICIS OPT. MAX. laudes audituri confertim huc conveniſtis, Vobis non una mecum in tanti Herois jactura, communique Eccleſiae vice dolendum eſſet; nec honorario iſthoc excitato tumulo, magnificum inter, feralemque hunc ornatum, luctiferas faces, lacrymas inter, & ſuſpiria, exacerbatis prae dolore animis, CLEMENTIS XII., heu, jam erepti, ejuſque rerum praeſtantiſſimarum commemoratione omnium aures circumſonarent. Sed quoniam Arbitro vitae, mortiſque Deo ſic viſum, qui omnia conſultiſſime moderatur, & unius CLEMENTIS nomen immortalem ſibi gloriam, immortale decus paravit; confido fore, ut eximiae ejus virtutes non luctui modo, dolorique omnium, quotquot hic adeſtis, lenimento eſſe queant; ſed unuſquiſque etiam Veſtrum earum acquirendarum ſpe, potiendarum-

Digitized by Google

10

darumque voluptate incendatur . Profecto eo allato nuntio , quo nil funeſtius umquam accidit, aut calamitoſius, ſummus repente moeror Univerſos invaſit, nec tam unanimi niſu, tam ardenti omnium ſtudio aliorum funus ullum , quam CLEMENTIS celebratum umquam fuit; quod quidem Spectatiſſimis hiſce , Deoque Sacris Virginibus potiſſimum debetur, quae, quanto apparatu licuit, eoque ferme ampliſſimo, uti cernitis, tanto Pontifici juſta perſolvi curarunt . Equidem ſat ſcio, graviſſimum me ſubire onus , & ejuſmodi , quod ſuſtinere vix poſſim; quandoquidem dicendum mihi eſt de Viro, cujus eximia fuit pietas in Deum , probitas erga ſeipſum, Caritas, atque animi magnitudo erga alios; dicendum de Principe , cujus egregiae rariſſimaeque dotes ingenitam animi celſitudinem ſpirant, & oſtendunt; poſtremo dicendum de Pontifice, cujus Dignitas inter homines ſupra humanum faſtigium evehitur, & praeclara item facinora diſertiſſimos quoſque defatigare poſſent . Utinam, ne tot tantarumque rerum laudes minuerentur , aliis pleriſque id munus injunctum, quorum oratio expreſſior eſſet, & illuſtrior, quique facilitate ſtyli, beataque illa copia praediti allicerent veſtras aures, ac demulcerent; nec mihi, qui tenuitatem meam neque diſſimulo , quin libentiſſime prae me fero, honor hic eximius , & prope ſingularis delatus eſſet: Adeone mihi ſapere videar, ut quamplurimis in dicendo concedere recuſem ? verumtamen an continere me , ac ſilere debuiſſem ? an quidquam eſt, quod tanti Pontificis cauſſa non debeam? cuique numquam omnino rependam, quantum maxi-

Digitized by Google

ma ejus in me, non dico beneficia, ſed merita poſtulant; ut omnino religioni duxiſſem, ſi occaſionem hanc elabi paſſus, laborem hunc detrectaſſem. Et quamquam cogitem, me apud Vos dicere, Viros nempe praeſtantiſſimos; quorum certe non tam frequentiam vereor, quam judicia pertimeſco, quae de ingeniorum foetibus graviſſima exercetis; Hoc namque anteactis temporibus fortunate noſtra praeſtat aetas, qua profligatis tenebris, clariſſimaque illata luce non modo de Scriptoribus rectius judicatur, ſed rerum natura, ſcientiarumque vis, & infirmitas curatiſſime penſitantur: Illud tamen mihi dicturo animos mirifice addidit, quod frequentia hac, & benignitate veſtra factum, ut ſingulare hoc in me & amoris, & judicii teſtimonium agnoſcerem. Interea jam vos tacite a me exſpectare intelligo, ut rem ipſam aggrediar; quo certe nihil mihi poteſt eſſe jucundius; ſiquidem mihi gerendus mos eſt vobis, qui nemini umquam magis, quam mihi, & antehac primum, & nunc denuo tam benigne, tam attente adeſſe videmini. Et quidem haeret animus, quo curſum dirigam, unde potiſſimum exordiar; Quidnam primum, Auditores, quid poſtremum, quid maximum ex ejus laudibus commemorem? quid ſine graviſſimo piaculo praetermittam? Exordiar ne ab Inclyta Urbe, in qua e ſinu Matris auſpicato in hanc lucem editus eſt? Florentia, inquam, quae Urbs eſt Italiae nobiliſſima, & antiquiſſima, locuples divitiis, optimis legibus conſtituta, in qua ſitu, magnitudine, aedificiis, picturis, & ſignis, ſi Neapolim, Reginamque Urbium Romam excipias, natura cum arte ita cer-

tavit, ut una inter omnes pulcritudine ſua oculos magis, quam aures admiratione perfundat. His accedit aeris coelique temperies, & quod caput eſt, Ingeniorum, Diſciplinarumque omnium cultus, ut omnino deeſſe putem, quod in omni Literarum genere Florentia non tulit: Feliciſſimam ſane Urbem, quae etſi plurimis, optimiſque Eccleſiae Paſtoribus merito exultas laetabunda, cum novis, tum veteribus; parem certe ortu CLEMENTIS, ac caeterorum gloriam ſplendoremque aſſecuta es: Nam qui nuperrime Clariſſimae Genti tuae additus eſt, cum Etruſcis Pontificibus, Medicaeis imprimis, CLEMENTEM noſtrum committere non dubitem. Initium ne faciam ab ejus Majoribus, quorum ſanguinis nobilitas principes Italiae Familias vetuſta, proximaque cognatione contingit? Rinuccinam, Altovitam, Guadagniam, Strozziam, Aquavivam, alias. Corſina namque Gens Ampliſſima ſemper habita eſt, & vetuſtiſſima, Clariſſimorum Virorum ſemper propago; quorum grandia, & praeclara facinora quid enarrem? quum Florentiae multis ab hinc ſeculis monumenta aviti ſplendoris adhuc exſtent. An quemquam eſſe putem, quem lateant Americus, & Octavius Archiepiſcopi Florentinus, & Tharſenſis? Eminentiſſimi S. R. E. Cardinales Petrus, & Nereus omni doctrina, & virtute ornatiſſimi? digni profecto, qui nullo non praeconio celebrentur. Fratris praeterea, ſororiſque Filii, Purpuratorum Par Nobiliſſimum, Corſinus, & Guadagnus, quorum praecipua laus eſt, quod maximam apud omnes ſapientiae, & praeſtantis animi opinionem conſecuti ſint;

co-

eorumque nomen propter egregia facta, ſingularemque juſtitiam excipiet, & tuebitur immortalitas. An quiſquam eſt, qui non intelligat, quanti ſit apud omnes, quo ſit loco, qua gratia, qua auctoritate valeat apud SERENISSIMUM REGEM noſtrum CAROLUM Nominatiſſimus, & Excellentiſſimus Princeps Corſinus, Fratris item Filius, qui omnes Reipublicae partes optime tenens, apud Siculos INVICTISSIMI REGIS noſtri maxima cum laude vices gerit, ea fide, atque prudentia, ut in illius Regni adminiſtratione tantum illi omnes tribuant, quantum antea fortaſſe nemini. Praetereo caeteros Conſanguineos, & Affines non modo ſtemmate, & praecipuis Dignitatum honoribus Inſignes; ſed etiam morum ſuavitate Conſpicuos: Fulgentiſſimae tamen Sanctitatis Virum non praetermittam, S.ANDREAM CORSINUM, Epiſcopum Faeſulanum, omnium ſeculorum memoria digniſſimum, qui ſui Generis antiquitatem maxime prodit; quique certe quatuor ab hinc ſeculis Corſinae Familiae gloria fuit, Patriaeque rariſſimum ornamentum. Tu vero, CLEMENS OPTIME, etſi Atavorum ſemper fueris ſplendorem, virtutemque aemulatus; tamen iſthaec ſi cum iis, quae tua omnino ſunt, & propria copulentur, adeo ſingularem Gentis tuae Claritatem ſupergreſſus es, ut ad majora quaeque, atque ad Imperium natus ipſe, factuſque videaris, & Sacerdotia, Dignitates, Feuda, Imagines, Titulos, Elogia magnifica, uno Pontificatus faſtigio ſis complexus. Atenim quoniam vera laus in una virtute poſita eſt, haec hactenus delibaſſe ſufficiat, quae quidem HEROS noſter

Digitized by Google

ſter contemſit ſemper , numquam extulit ; proindeque ſatius fuerit ea perſequi , quantum licet, quae officia humanitatis injungunt . Jamtum enim primordia ejus pueritiae, & progreſſus, qualis eſſet futurus, innuerunt ; & quam in eo bene morata puerilis aetas, tam ſapiens, ac pius adolevit. Verumenimvero quis ejus virtutes, ſpiritum, vivacitatemque naturae, moreſque ſuaviſſimos enarret, atque deſcribat? In ejus vultu ingenua quaedam hilaritas habitat , ſermones pietatis ſynceriſſimae ſunt indices : & quamquam annis & uſu augetur prudentia, creſcit etiam ac veluti grandeſcit animus, in tenella adhuc aetate maturi verendique Senis laudes meretur . Deum immortalem! quam non ſpem de ſe concitavit adhuc adoleſcens? quod in eo pietatis genus , quae verborum honeſtas, quam religioſa prorſus indoles? Non eum umquam otium, non aequalium nugae, non blanditiae delectarunt . Adultus vero ſedula Parentum diligentia inſtitutus quo acumine fuit , quam liberalis, quam feſtivus! quantae induſtriae in excolendis literis , quanti laboris , quam ſubacti judicii ! cujus ſpecimina dedit Florentiae adhuc degens , quum in Academias pleraſque illuſtriores cooptatus eſt, puta Florentinam , Apathiſtarum , imprimis eam cui vulgo factum a furfure nomen , ſublime illud Etruſcae Linguae Tribunal. Ubi vero Romam ſe contulit , quae certe una maxime omnium tanti Viri excelſo animo par Theatrum eſſe poterat, quidquid aggreditur , exitum felicem habere ſolet ita, ut poſt varios Dignitatum honores diu Pontificio AErario praefectus eſt ; quo munere poſt

ade-

adeptam etiam Purpuram nonniſi longo poſt tempore ſe abdicavit; adeo rem feliciter ſemper geſſit, adeo Juſtitiae partes explevit. Deinde quum nulla ſit laus boni Viri, cujus in rebus omnibus Caritas non eluceat, praeclaris conatibus, auſiſque numquam excidit: Quemadmodum enim in irriguo horto, feracive pomario ii tantum flores, aut fructus, olfactu nempe & aſpectu flagrantiores, aut ſuaviores ad decerpendum nos alliciunt; ſic quamquam uſu, ac ſpecie commendabiles ſint virtutes omnes, Manſuetudo, Continentia, animi Demiſſio, aliaeque hujuſmodi, tamen inter cunctas venuſtate ſua tamquam Regina una nitet Caritas: Sic porro CLEMENS natura ad largiendum pronus, neque ex eorum numero, qui una utilitatis ſimbella amorem, odium, fidem, caeteroſque animi motus metiri ſolent, deſpicatiſſimos eos omnes ratus, qui nemini umquam adjumento eſſe ſolent. Quamobrem ut caeteram aedium ſuarum Amplitudinem taceam, etiam tum quum Praeſulatum gereret, bibliothecam inſtructiſſimam comparavit; mox vero quo reconditiſſimae antiquariae Supellectilis ſtudio tenebatur, in Vaticanum Senatum adlectus, rariſſimos codices, libroſque non in aedis ſuae ornamentum, & cultum parietum, ſed literarum, erudiendaeque juventutis cupidine conquiſivit. Et quoniam ut imperito Viro nihil durius, ita literis molleſcunt hominum pectora, eamobrem ſemper idem erga omnes, majores, aequales, inferiores diligit. Quid namque ejus familiaritate dulcius? moribus quam affabilis, verbis quam comis, ut non ſatis urbanus, aut eruditus is haberetur,

retur,

retur, cui Corſinae Aedes eſſent incognitae. In iis quippe interdiu, noctuque conventus habebatur doctiſſimorum Virorum; Conveniebant autem praeter eos nobiles, ingenuique Juvenes complures: Delectiſſimi iccirco ſemper viri omnes, qui ei fuerunt a conſiliis, a ſecretis, a gravioribus ſtudiis; atque hoc pacto quemadmodum plerosque vicit ſplendore vitae, ſic probatiores, atque honeſtiores morum ſuavitate ſuperavit: & quamquam homines diu non conſtent, ſumma tamen univerſæ ejus vitae, ſingularumque actionum fuit aequalitas; eximia moderatio, quam in maxima praeſertim Dignitate ſervavit, cujus in incredibili ſemper ridentis fortunae curſu nullum umquam verbum, aut durius, aut aſperius auditum eſt. Adhaec quoniam altera virtus alteram ſuſtinet, amiceque conjurant, mira in eo aequanimitas, quum devexa jam aetate, podagra laboraret, ſive ea conſiſteret, ſive increſceret, ne dum in pedibus, ſed manibus etiam, genibus, & univerſis artubus adeo afflictabatur, ut ſingulis momentis, centenis mortibus enecaretur: Ipſe tamen cruciatus omnes, caecitatem imprimis, gratias identidem Deo agens pro hebetata ſibi oculorum acie, ſemper aequo, patientique animo paſſus eſt. Scilicet is nobiliorum rerum luce perfuſus fortiter oculorum orbitatem ſuſtinuit, morbi ingraveſcentis moleſtias tulit; demum & perquam pie ſe ad vitae exitum comparavit. Adeo exploratum eſt, Auditores, quam maxime interſit, ut juventus mature inſtituatur, Claro praeſertim nati Genere: Literae enim iis ſupra caeteros jucunditatem afferunt, ornatum adjungunt, gloriam, ſplendoremque

remque

remque augent. Omnibus enim in aetatis flore cita adhibenda eſt medicina, Nobilibus praeſertim; quum Virtus vera ſit nobilitas, tum quod Nobiles caeteris ſint exemplo, & ſaepiſſime ad Rempublicam admittuntur, graviſſimo ſi inertes, malive ſint, humani Generis detrimento. Haec certe ſunt, quibus CLEMENS ad Cardinalatus apicem evaſit: Ipſi ſiquidem per virtutes ſemper ad Honores tutum fuit iter, aditumque etiam ſibi patefecit ad Summam Dignitatem; atque adeo habetis jam, quod Chriſtianae virtutis Cultores imitemini; Deinceps, ut erat propoſitum, abunde etiam ſuppetunt, quae maximis Principibus exemplo eſſe poſſint. Et quidem magna eum praeceſſerat fama, major inventus eſt; Debebat is majora aggredi, nec in parvis conſiſtere, non ſecus ac ſi magnum lumen parvam domum illuſtret: Verumtamen videte, quaeſo, moderationem CLEMENTIS; etſi Auguſti eum Patres non inconſultis calculis, nec niſi caeleſti afflatu Numinis Pontificem ſalutare conſtituant, repugnans tandem ipſe Chriſtianis Sacris praeficitur; ſcilicet ne Divinae Ordinationi reſiſteret, ceſſit tandem, non abnuit, non Principatus pondere fractus eſt, qui quidem quanto praeſtantior, quod curandis etiam animis praeſit, tanto difficilior eſt, atque laborioſior, O excelſi animi fortitudinem! Enimvero Clemens ſimul atque Imperium nactus eſt, quid habuit non eximium, non rarum, quid non cum Optimis quibuſque Principibus conferendum? Verba in eo nonniſi culta, gravia, pronunciatio elegans, & venuſta, ſententiis magni ponderis uti ſolitus, felix firma-

Digitized by Google

que memoria, & quod mirum, alter veluti Gratianus Auguſtus, ut eſt apud Auſonium, *Nemo magis quam ipſe, aut dicenda prudentius cogitavit, aut conſultius cogitata diſpoſuit, aut diſpoſita maturius expedivit*. Atenimvero, Auditores, animus in CLEMENTE quam erectus, quam excelſus; qui quidem munificentia, & liberalitate maxime cernitur; quarum monumenta accipite jam, quae ubique memorantur: Ravennam adverſus exundantes amnes, immite Caelum, morbidum aerem cuſtodivit; In reliqua vero Ditione Pontificia quot vias publicas ſtravit? quot aquaeductus, aut pontes inſtauravit? quot annuos cenſus conſtituit? quot publicas aedes, Templa, Romae praeſertim, Xenodochia, Valetudinaria, Paedotrophia, Monaſteria paravit, refecit, ornavit? Teſtes tantum appello Ariminenſes Cives, apud quos multis aureorum millibus Urbanam Arcem vetuſtate fatiſcentem munivit, ut liberalitatis eximiae ejus memor Populus Senatuſque Ariminenſis, ne quid gloriae tam OPTIMI PONTIFICIS deeſſet, marmoream ei ſtatuam in Foro decreverunt. Teſtem appello Anconam Urbem totius Piceni celeberrimam: Haec enim portum quum habuerit facilem admodum, & ſinuoſum; quod inſigne fuerat opus Trajani Caeſaris, tamen longo jam aevo obſtructum atque praecluſum Heros noſter magnis ſumtibus effodit, & aperuit, ut onerariis navibus non Ditionis modo Pontificiae, ſed univerſae etiam Italiae commodo tutius, liberiuſque pateſceret. Poſtremo loco Vos appello, Quirites, quibus ejus memoria jucundiſſima ſemper erit, qui velut alter

aevi

Digitized by Google

aevi noſtri Sixtus Urbem illuſtri ornatu, omnique aedificiorum genere cumulavit; ne quid etiam de Sumtuum immenſitate dicam, quibus labentem Conſtantini Arcum reparavit, Templique Conſtantiniani Frontem excitavit, quae tam magnificae Baſilicae reſponderet. Capitolium vero, quod jam olim nobiles Statuae plures, & vetera marmora exornabant, magno numero novis ejuſmodi, rariſque undique conquiſitis, ſplendore Urbis plurimum aucto, Advenarum admiratione locupletavit. Quo factum eſt, ut Roma merito nunc ſui ipſius aemula ut cum maxime celebretur, quam jam tum *Regum Urbem* Cineas appellavit, alii *Orbis Caput, Terrarum, Gentiumque Deam*, alii *Urbium Principem, Rerum Dominam, Reginamque Pulcherrimam* nominarunt. Sed quoniam Principis proprium hoc eſſe ſtatuo, aeſtimare, ac perpendere, quae Populorum ſalutem libertatemque reſpiciunt; Quod nulli vis infertur, nihil cuipiam eripitur, quid cauſſae eſt? Juſtitiae in eo ſtudium; quod attritae expenſis familiae reparentur, quid cauſſae eſt? Caritatis ſtudium; quod de ignotis etiam & non petentibus benemeretur, quid cauſſae eſt? Beneficentiae ſtudium; quod nec ab ullis ſumtibus ardua quaeque incoepta abſterrent umquam aut retardant, quid cauſſae eſt? Munificentiae ſtudium. Abſolutiſſimum certe Principem, qui primus legibus pares, qui ſubditos ita regis, ut non te, ſed tui cauſſa metuant; ſemper prono erga Nobiles favore, effuſa erga pauperes indulgentia, & quae peculiaris magnorum Principum laus eſt, Cives etſi dignitate diſpares, aequales reddis; Tu Sontium Domitor,

Digitized by Google

tu bonorum Perfugium, tu Legum Cuſtos, tu Artium Parens, Tu Virorum Aeſtimator, quique demum nihil meditaris mortale, ſed omnia immortalia; Tua potentia, largitionibus, auctoritate literae, bonaeque artes, quae pene jacuerant, ſpiritum ſanguinemque reſumunt. Quam probati Familiares tui, quam ſpectati, quibus nihil ſanctius, nihil religioſius Roma vidit umquam. In tua Aula non impetus, non affectus, non commendatio dominatur, nihil inconſiderate fit, nihil praepoſtere, nec niſi uni rationi, & conſilio locus relinquitur, & auctoritas; non extolluntur immeriti, non ditantur inertes, docti, cordatique Viri honeſtantur; nihil aggrederis ſine diſcrimine; In conſiliis capiundis tibi prudentiſſimos Viros adſciſcis; & qui ubique locorum, ac temporum eſſe nequis, oculos complures, manus, & pedes tibi comparaſti, nempe Optimos Conſiliarios, & Magiſtratus. Quae quum ita ſe habeant, PRINCEPS SAPIENTISSIME, num erit quiſpiam, cui ipſe in exemplum fortitudinis, munificentiae, juſtitiae, Religionis natus eſſe non videaris? ubi omnia tibi propia iſthaec, & peculiaria fuiſſe quis neget? quandoquidem verus Princeps merito dicitur quiſquis non imperium modo tenet, ſed & qui eo recte, ſapienterque uti noverit. Quae ſane Principis laudes cum Pontificiis, quibus enituit, conferri nullo modo poſſunt; quarum Dignitati mores, non Dignitas moribus fidem adſtruit, reverentiamque conciliat. Et quidem quantus eſt, Deus bone, Maximi Pontificatus apex, quam ineffabilis! Hic nationes omnes in ſui admirationem rapit, huic quidquid eſt Fidelium,

Digitized by Google

ubique ſubmittitur, per hunc Unitas Eccleſiae retinetur, ad hunc utriuſque Orbis vota concurrunt, ab ejus reſponſis & oraculis omnes Catholici, Epiſcopi, Reges, & Imperatores pendent, ab eo conſilia in judiciis, in ambiguis ſolatia petunt univerſi. Hunc *Cacumen & Verticem humani Generis* Petrus Damiani, *Faſtigium Dignitatis, & Honoris Celſitudinem* Bernardus, *Religionis noſtrae fontem* Studita, *Maximum Fidei Propugnaculum* Damaſcenus, *Portum tutiſſimum Catholicae Communionis* Hieronymus appellavit. De Pontifice vero quid ipſe dicam? an cum Arnobio *Epiſcopum Epiſcoporum* appellem? an cum Cyrillo *Caeli Clavigerum*? an cum Fulgentio *Curatorem Vicarium Ovium Chriſti*? an Conſtantini demum, & Hieronymi verbis utar, qui *Summum Sacerdotem, & Hierarcham* nominarunt? paucis expediam; ejus Eccleſiae Pontifex hic eſt, quae Mater, & Caput eſt omnium Eccleſiarum, quae inter Antiſtites ſuae Sedis triginta Fidei Athletas oſtentat, qui ob Chriſtiani nominis confeſſionem Pontificatum ſuum glorioſo Martyrio decorarunt; & duo ſupra ſeptuaginta, qui inſigni ſanctimonia, & caeleſtibus miraculis Chriſtianam Religionem illuſtrarunt; quin etiam, quod miremini, Univerſalis Eccleſiae Moderator hic eſt, ejus inquam Eccleſiae, quam Prophetae, quam Apoſtoli honorificis adeo titulis exornarunt, eam ubique appellantes, *Civitatem Sanctam, Fructiferam Vineam, Montem Excelſum, Directam Viam, Columbam Unicam, Sponſam, & Corpus Chriſti*. Haec igitur Dignitas maxima in terris eſt, in altiſſimo, ornatiſſimoque gradu locata, ſed maxima item ſunt ejus munera, plu-

plures curae, ſolicitudines multae. Et ſane CLEMENTEM ab initio Eccleſiae commodum ſpectaſſe exitus declaravit, ubi caetera omnia parum curans, regendi potius, quam fruendi Pontificatus ſtudio exardeſcere viſus eſt. Nam nemo, opinor, erit, PONTIFEX OPTIME, qui non cum caetera, tum vel ſummis laudibus efferat facilitatem illam tuam in audiendis, admittendiſque omnibus, quorum intereſt tecum colloqui aut officii, aut negotii cauſſa: Praeſto namque es non perdius modo, ſed antelucanus etiam & pernox; nec minutiſſimae etiam plebis quiſquilias aſpernatus adeuntium deſideria, aut libellos continenter excipere non dedignaris: Hinc tot clamores, tot praeconia, quibus etiam abjectiſſimi quique tibi plaudunt: Quandoquidem, Auditores, Pontificia ejus Caritas, cujus in omnes uberrimi fructus fuerunt, maxime eluxit erga Religioſos, Pauperes, Viduas, Orphanos, & literatos Viros, quibus ſaepe coactam a ſe pecuniam erogabat, cujus etiam juſſu plus ſemel, ut Egenis opitularetur, plura aureorum millia in ſingulas Paroecias diſtributa ſunt. Eamobrem ſunt qui aegrotant, affligantur, in calamitate verſantur, omnes ad eum accedant, ſi quid velint, ipſe omnes complectitur, qui nullis non diebus adiri poteſt, neminem, cujus aequa ſit, & honeſta poſtulatio, quique obvolutus genibus ad ejus ſe pedes proripit, a ſe vacuum, triſtemque dimittit; plebejos ſibi multo gratiores advenire teſtatus, quam ſi magni fuiſſent Principes. Illud vero liberaliſſimum fuit, quod ſuprema etiam voluntate juſſerit, ut quae pecunia, ſe e vivis erepto, ſupereſſet, ea

clan-

Digitized by Google

clanculum pio illuſtrique operi impenderetur; quod continuo curatum eſt; rem certe tanto Pontifice dignisſimam! Jamvero quale in eo conſilium fuerit, & quantam inde tulerit laudem videamus. Tabulam, quae expreſſam ejus imaginem refert, inſpicite, & ex oris majeſtate coniicietis vim mentis, atque Conſilii; ſcilicet erecti vividique ingenii dotes in eo vitalis ingenitique caloris defectu non reſtinguuntur: Ipſe enim veteri communique adagio fidem detrahit, quo monemur, *ſenectam haud pulcram eſſe*; cani namque in eo non modo venuſtatem non minuunt, ſed cumulate potius augent, atque confirmant. Arduis gerendis negotiis par & idoneus, in omnibus qua induſtria, qua dexteritate ſe geſſit? CLEMENTIS enim Sapientia non ſemel quae Magnos inter Principes inſperata dudum, implexaque videbantur, repente raro felicitatis exemplo compoſita adeo ſunt, nihil ut adverſum timere, nihil contra voluntatem, omnia ſecunda ex animi ſententia ſperare liceat; quibus finitima ſunt, quae geſſit erga SERENISSIMUM REGEM noſtrum CAROLUM, quo quum nemo fuerit in Matrem ſuam Sanctam Romanam Eccleſiam aut praeſtantioris animi, aut majoris erga Pontificem reverentiae, eamobrem, favente Numine, in cujus manu ſunt omnia, CLEMENS MAXIMUS pro paterno, quo numquam non flagravit erga tantum PRINCIPEM ſtudio, Neapolitanorum Imperium, Dignitatemque Regii Honoris agnovit, atque Apoſtolica Auctoritate firmavit. O felicem adeo, fortunatamque noſtram Urbem, quod iterum a CAROLO I. Andegavenſium Duce,

ce,

24

ce, aliquot poſt ſeculis CAROLUS noſter Francorum Regum Germen hic floreſcat, MAGNI PROAVI praeclara ſoboles, Heroum Genus, Regum Ornamentum, naturaeque Miraculum. Illud vero in maxima felicitatis parte putem, quod optatiſſimus ille dies advenerit, quo nuper MARIA AMALIA SERENISSIMA REGINA noſtra, GENEROSISSIMO gravata PIGNORE incredibili nos laetitia cumulavit; de quo plane augurari libet, digniſſimum illud fore fauſtiſſimo hoc Connubio, cujus omnino Deus Opt. Max. auctor fuit, ut abſolutam PRINCIPUM ideam nobis oſtenderet, quos morum, & virtutum ſimilitudo conjugavit. Neque vero CLEMENS minor Religionis, quam ſapientiae laude fuit. Quanta in eo ſinceritas animi, quanta innocentia, quae quidem in Pontifice candore veſtis optime demonſtratur; quemadmodum eo etiam colore, uti notavit Gregorius Nazianzenus, *Angelorum, qui humana forma depinguntur, naturalis puritas deſignatur*. Ille ſiquidem Pontifex vere Maximus, cujus majeſtatem, non tam Veſtes, & Tiarae, quam mores, virtuteſque nobilitant. At CLEMENTI caeterae Pontificiae dotes non defuerunt, ut iis ſupra veri fidem munitus, atque inſtructus, nullo non praeconio major videretur. Optimos quoſque Deceſſores ipſe ſpectavit, haec propoſita ipſi ſemper exempla fuerunt. Profecto tantarum rerum commemoratione cor exſilit, liqueſcit animus. Summum in eo erga Templorum nitorem, Sanctorumque cultum ſtudium, quod quum ubique, Romae praeſertim plurima, tum illud declarat maxime, Sacellum nempe ab eo eleganan-

gan-

Digitized by Google

gantiſſimo opere, nec ſine magno impendio S ANDREAE CORSINO, Gentili ſuo auguſtiſſime erectum in Laterana Baſilica, quem ut pie ſemper coluerat, ſic ad eum pie colendum exemplo ſuo omnes magis magiſque confirmavit: Decoram namque & eximiam ejus Sacelli conſtructionem, marmorum delectum, vivas tabulas, ſpirantia ſimulacra, auri, argentique copiam quae aetas non mirabitur? quae quidem ſemper nomini ejus erunt ornamento, ipſique immortali gloriae cedent, ejus ſemper & pietatis, & memoriae teſtes futuri. Quid porro jam dicturi eſtis, Auditores, ſi cogitetis plura nummum millia, quos excitandae ſuffecit Bibliothecae Fratrum Minorum Arae Caeli? magnam pecuniarum vim collatam edendis ingentibus, & celebratis operibus *Origenis*, *Hieronymi*, *Ephrem Syri*, Annalium denique Seraphici Ordinis *P.VVaddingi*? quae talia certe ſunt, ut pene adjungi iis fides nulla videatur: nimirum quantum temporis, quantum laboris, quantum impenſae opus fuerunt tantis operibus? adderem hic praeterea hujuſmodi non pauca, niſi me brevitatis ſtudium moneret. Vigilantia vero eum, & ſolicitudo omnium Eccleſiarum adeo exercuit, ut pluris ab eo una Legum Canonumque Majeſtas, quam quorumcumque aucta nominibus Dignitas, atque Claritas fieret. Apoſtolica ſemper libertate, & conſtantia uſus in iis, quae Eccleſiae curam reſpiciunt: Nam quid modo recenſeam inſtaurandae Diſciplinae laborem? quid emendandorum morum pervigilem curam? quid propagandae Religionis ſtudium? Eo Regnante, ut Bernardi ad Eu-

D ge-

genium verbis utar, *Plebes Clericis, Clerici Sacerdotibus, Sacerdotes Deo ſubjecti ſunt, ſupra prava opera, & dogmata cenſura Eccleſiaſtica viget* : Adhaec apud Brutios Collegium ab eo etiam Italo-graecum, dato Antiſtite, conſtituitur, ut probe ejus gentis mores informarentur, neque rituum varietate ſchiſmata gliſcerent: Denique Sanctis honos, cultuſque decernitur, *Vincentio a Paullo, Franciſco de Regis, Julianae Falconeriae, & Catharinae Fliſcae*. Sed quo te PONTIFEX impulit Religionis ardor? anguſtum tibi videtur, Fidei incrementa Urbis moeniis, aut Italiae finibus includere; Praeclara enim te ſemper opera molitum noverunt Hiſpani, conſcii fuerunt Galli, intellexerunt Germani, non denique te latet Orbem Terrarum univerſum. Nam non Abiſſini modo, Syri, Armeni, Copti, Thibetani, Melchitae, ſed Acatholici etiam, Mahummedani, Seres, & diſſitae Idololatrae Nationes, quorum feris moribus, immanique natura & commovemur, & perhorreſcimus, abs te miſſis Sanctiſſimis Viris, qui *veritati teſtimonium perhiberent*, Sacros Eccleſiae ritus, aut Chriſtiana dogmata induerunt. O fervorem Pontificii animi maxime praedicandum! Atqui pene me fugerat, quod priore fortaſſe loco dicendum erat: Scilicet quanti CLEMENS Urbem quoque noſtram fecerit, teſtes nobis ipſi ſumus: Neminem namque latet, inter tot tantaque benefacta, quibus optime, ſi quis umquam, de Urbe noſtra meritus eſt, praecipuum illud, quod illuſtri erga nos beneficentia EMIN. JOSEPHUM CARD. SPINELLUM, jamtum apud omnes non minus vitae innocentia, quam doctrinae

nae laude, & Generis Amplitudine Clariſſimum iñ ſublimi noſtrae Matricis Eccleſiae Throno collocavit; nec quemquam moderandae praeſtantiſſimae huic Metropoli fortiorem, aut magis idoneum judicavit: Quod beneficium tanti omnes facimus, ut nemini plus quam CLEMENTI in omni vita ſimus debituri. Jamvero ne illud excidat, cujus exemplum nullum exſtat, aut rariſſimum, quis Veſtrum magnopere non mirabitur, Nobiliſſimae Virgines, quod CHRISTI in Terris Vicarius, Catholicaeque Eccleſiae Caput non alienum majeſtate ſua duxerit, ut quod antea Purpuratus ipſe ſuſceperat, patrocinium Collegii veſtri, totiuſque adeo Seraphici Ordinis retineret; neſcio majore ne animi moderatione, an amoris aeſtu, miranda certe utriuſque ſignificatione, qua CLEMENS dum vixit, ſemper ſibi placuit; quin eo nomine de ſe magnifice ſentiens teſtatum omnibus eſſe voluit, cor ſuum a Vobis nulla fortuna, faſtigio nullo avelli poſſe; ſuumque erga Vos amorem tantum fuiſſe, quantus potuit eſſe maximus; quandoquidem quis enumeret munera, beneficia, immunitates, privilegia, quibus CLEMENS Seraphicum Ordinem univerſum, cum primis vero Aſceterium hoc veſtrum peramanter honeſtavit? uſque adeo, ut Pontificio etiam Diplomate, quod profecto fidem omnem ſuperat, quam demiſſiſſime ſit faſſus, ſe aut nulli, aut Vobis Unis, veſtriſque precibus acceptas referre priſtinas vires, ſenectam firmam, vitam ſatis diuturnam, Supremi demum Pontificatus Amplitudinem: Quo vero promerita iſthaec perennarent, comitem ſibi aſcivit Romanae Purpurae

Digitized by Google

ſplendorem TROJANUM CARDIN. AQUAVIVA, ut is extincti ſui locum occuparet; cujus omnino tanta eſt animi celſitudo, atque praeſtantia, ut nihil ſit, quominus ſtudium in eo Dignitatis veſtrae, vel tuendae, vel etiam augendae ſummum non eſſe intelligatis. Quae quum ita ſint, Auditores ornatiſſimi, ecquid amplius poſtulatis? Agnoſcite jam in CLEMENTE praeclarum quoddam Pontificiarum Virtutum exemplar, quae certe meo, veſtroque ſilentio potius, quam praeconio ullo exornari poſſunt: Interea dandum quidem fuit tanto HEROI omnium noſtrum deſiderium, honor, & memoria, ſed moeror ablegandus, qui ſane nos minime decet: Scilicet quaecumque oriuntur, occaſum minantur, & Viro Principi cum plebejo, ſenectuti cum adoleſcentia communis eſt mors, & impendens: Deinde quum CLEMENS eo devenerit, ubi nullus eſt dolori locus, nihil noſtro dolore indiget, nec nobis quidquam moeſtitiae accidere ex eo debet, qui omni moerore, luctuque ſolutus eſt; cujus Verendum Caput jamnunc radianti ſtellarum luce redimitur, cuique certum jam eſſe in caeleſti Aula, & definitum locum pietas ſuadet. Eamobrem agite dum, quotquot atrum funus inſtaurandum curaſtis, procul faces abigite, planctus, gemitus amandentur; quin potius date roſas, lilia ſpargite, demum feralis haec pompa in feſtivam, laetamque vertatur. Quod ſi praeterea res Eccleſiae Gubernatore jam carent, ſatiſque intelligimus, quo ſtatu ſint, nimirum acerbiſſimo, aſpice quaeſo nos, CLEMENS MAXIME, aſpice ROMAM, ECCLESIAM aſpice; Te Duce, Te

Vin-

Digitized by Google

Vindice, opem a Deo bonorum omnium largitore imploramus, ut obſcura nocte hac, qua eclipſim paſſi ſumus, optatum jubar reſplendeat. Vos iccirco demum alloquor, Vos etiam una mecum quam demiſſe compellat Illuſtris haec Sapientum hominum corona, EMINENTISSIMI PATRES, qui divino afflati Numine confeſtim in Conclave vos intuliſtis; Solertiſſimos, uti eſtis, in momentoſa adeo re vos oſtendite, illud modo nobis, atque adeo cunctis, qui Chriſtiano nomine cenſentur concedite, deligite *Syncerum Miniſtrum*, *Fidelem Diſpenſatorem*, viduatae Eccleſiae Paſtorem, CHRISTOQUE Primo, & Optimo Pontifice digniſſimum deligite. Reliquum eſt, Auditores, ut quum omnia HEROS noſter Hominis, Principis, Pontificis officia praeſtiterit, nemo ſit veſtrum inter haec adeo mira tam hebes, tam vecors, qui non ad honeſtatem incendatur, quem non rapiant tot exempla virtutum. Caeterum, quoad vixerimus, Deo Sacris Virginibus Ampliſſimi hujus Templi, veteque Regalis Aſceterii quamquam referre ipſi pares gratias non poſſimus, habendae tamen ſemper erunt maximae. Quam enim debitam officiorum memoriam non quaeſiſſet fortaſſe CLEMENS, hanc ipſae praeſtiterunt, & quo numquam non caeteris palmam praeripuiſſe videantur, hoc modo ſplendidiſſimo apparatu, funebrique laudatione CLEMENTI Tutelari ſuo, Parentique Optimo monumentum aere perennius excitarunt: Rem certe omnium admiratione digniſſimam! etſi nec aliter fieri par erat ab iis, quas totius Urbis Avitae, Ampliſſimaeque Cognationes nobilitant, quarum

po-

potiſſima ſemper cura fuit, excelſiſſimus animus, invictaque remunerandi voluntas; quaeque Natalium veteri dignitate, fortunaque abjecta, ubi Seraphicae Familiae nomen profeſſae, ſacris hiſce ſeptis ſe abdiderunt, novam ſubinde, veramque nominis claritatem adeptae adeo ſunt, ut in eas ab Inclyto praeſertim tot Coenobitarum Patriarcha FRANCISCO omnis omnium virtutum, veraeque pietatis decor emanarit. Finem igitur faciam, & Coronidis loco mutuabor hic dumtaxat Curatiſſimi TACITI colores, ejuſque penicillo utar, quo Socerum ſuum Julium Agricolam nitidiſſime depinxit; mihique potiori jure uſurpare, mutato nomine, illius verba liceat. *QUIDQUID EX* CLEMENTE *AMAVIMUS, QUIDQUID MIRATI SUMUS, MANET, MANSURUMQUE EST IN ANIMIS HOMINUM, IN AETERNITATE TEMPORUM, IN FAMA RERUM: NAM MULTOS VETERUM VELUTI INGLORIOS, ET IGNOBILES OBLIVIO OBRUET,* CLEMENS *POSTERITATI NARRATUS, ET TRADITUS SUPERSTES ERIT.*

VA1 154 5015

Digitized by Google